

**BREVICULUM DE VITA ET GESTIS
VENERABILIS SERVI DEI FRATRIS NICOLAI A LONGOBARDIS
ORDINIS MINIMORUM OBLATI**

Estudios Mínimos 2015

PRESENTACIÓN

El manuscrito que transcribimos se halla en el Archivo de la Corona de Aragón, en el Legajo grande nº 360a de la Sección de Órdenes Religiosas - Hacienda y procede del antiguo convento de San Francisco de Paula de Barcelona. Probablemente es una copia del que se halla en el Archivo Generalicio de la Orden en el fondo del antiguo Colegio de San Francesco di Paola ai Monti (FC 86); tal vez diversas copias se hicieron para diversos conventos o, más probablemente, la copia fue efectuada por el Padre Francisco Galindo cuando fue Procurador General de la Orden y traída después a Barcelona.

BREVICULUM DE VITA ET GESTIS VENERABILIS SERVI DEI FRATRIS NICOLAI A LONGOBARDIS ORDINIS MINIMORUM OBLATI

Ex quo caelestis ille Agricola Deus Noster, quem admirabilem in Servis suis creaturae omnes conclamant, bona semina in agro suo seminare caepit, affatim in Regno florentissimo omnium Neapolitano germina gloriosa profudit. In tam pulcherrimo, tamque immenso Haero, ut Campo, aequo animo feliciterque excurrerem, nisi extemplo unus instar omnium mihi occurreret, quem in hoc saeculo et vidimus et audivimus, et manus nostrae contrectaverunt: hic est magnus, et praeclarus Dei Servus, qui in ore famae omniumque gentium commendatione versatur **Venerabilis Frater Nicolaus a Longobardis**, perenne Minimorum familiae decus et ornamentum, cujus praeclara gesta, qui linguis loquitur humanis enarrare nequit.

Annus jam agebatur christianae salutis 1649, cum ad oram maris tirreni in Oppido Longobardorum Provinciae Calabriae Citerioris, dum Epiphania Domini ab orbe catholico celebratur, Christi famulus natus est. Ut autem, cui Deus apparitionis filii sui diem pro natali concesserat, elargiretur quoque prodigia, atque in eius nativitate multi gauderent, ad modum mirantis inter noctis Caligines refulsit splendidum lumen in habitaculo ejus: utque appareret talem postea futurum in paenitentia admirabilem, qualem deinde universa, qua late patet, ecclesia suspexit, in sacro Baptismatis fonte Joannis Baptistae nomen sortitus est. Prodigiiis hisce sic divinae Providentiae inditio in ejus nativitate suppeditatis, certo conficiebant omnes, futurum aliquando ut sanctitatis dotibus cumulatus esset Patriae ingens decus allaturus.

Hanc praeclaram de eo conceptam expectationem, iam ratam exploratamque reddiderunt praestantia, quae in tenera adhuc aetate exhibuit indicia virtutum, quibus sensim adolescebat, perficiebatur, et ad majora in dies suos attollebatur animus. Adhuc parvulus in abscondito videbatur orare; et succedentibus annis in misteriorum Christi jugi meditatione defixus, nihil antiquius habuit, quam ut purissimae, sibi que semper constanti vitae ratione, mores suos ad vitam Christi exigeret, et sanctissimam ejus Legem adamussim studeret observare. Stupebant omnes, qui noverant eum, suspicientes Angelicam ejus in aspectu, et moribus puritatem, in victu parsimoniam, a carnibus

abstinentiam, inviolabilem jejuniorum Legem, Sacramentorum frequentiam, Servorum Dei et praesertim Religiosorum Minimorum, quorum mores, propositumque discebat, frequentem conversationem; necnon admirabilem efficaciam in evellendis perniciosissimis discordiarum zizaniis, si quae in cordibus Civium suorum seminabat Christiani nominis hostis. Licet in sudore vultus sui, suo utique vesceretur pane, tamen quotidie assistebat Sacris et si quandoque factus Patris obediens, hunc pietatis actum prohiberetur exercere, per integrum diem abstinentia a victu supplere satagebat.

Haec praeexercitatio vitae monasticae in seculo non satis fuit apud ipsum per singulos dies, Amor sanctae professionis, et mortificationis impetuosiori crescebat cura: unde egressus, ut Abraham de terra sua, de cognatione sua et de domo Patris sui fugit, ut Loth nec post tergum respexit, arreptumque iter maturavit, donec in ea demum terra requiesceret, in qua, ut Jacob scalam vidit, per quam itur ad Caelum, hoc est, familiam Minimorum; in ea ad qualitatem Oblati adscribi voluit; et ita vixit, ut Juvenis Senibus, tiro Veteranis, Novitius exercitatis tamquam exemplum Continentiae, Modestiae, Obedientiae, omniumque denique virtutum singulis praefulgeret.

In Paulae Caenobio, ubi prima sui Ordinis fundamenta fecerat thaumaturgus Paulanus, mutato nomine Joannis Baptistae in Nicolaum, suae probationis annum exegit; ubi talia pietatis, atque obedientiae dedit signa, ut omnium amorem sibi optimo jure conciliarit, et cunctorum in se oculos, atque ora converterit; enim vero promptus ad nutus, illorumque executionem paratus, numquam taedio affectus Charitate in singulos, omnibus omnia factus est, ut apicem perfectionis attingeret. Tali Spiritus fervore aestuabat, ut provandorum Magister vehementi illius amoris incendio se sepe numero opponens, illum cohibere pluries visus fuit, in meditationis exercitio.

Quomodo vitam evangelicam duxerit, emissa jam, communi omnium calculo, professione solemniter, et quomodo votis Obedientiae, Paupertatis, Castitatis, Vitae quadragesimalis, atque Fidelitatis Deo vinctus responderit, sufficienter posse, puto, nominem enarrare; solius quippe donatoris est nosse quomodo praevenit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis. Quanta resplenduerit gratia electionis; quomodo inebriavit eum ab ubertate domus suae: hilaris vultu, pauper habitu, circumspectus fuit in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione devotus, magnanimus in fide, longanimis in spe, perfectus in Charitate, jucundus inter opprobria, inter obsequia verecundus.

Cui placuit eum a saeculo segregare, et vocare, ut ampliori gratia revelaret in eo gloriam

suam, dedit et vitae et operum Christi perfectum esse sectatorem. Enim vero vita Christi humilitatem singulariter commendat, a Mundi abhorrere gloria, honores fugere, docet; hanc virtutem semper in delitiis habuit Servus Dei; et ejus admirandum praebuit exemplum, dum in medio sublimium suarum contemplationum, inter amoris colloquia, et amplexus cum Deo, Religiosis accurrentibus repetebat: *supra Corpus meum supponite pedes, faciem meam sputis afficite, ut homini indigno quem terra sustineat, quem Caelum aspiciat.* Dum inter claustra verrendum manibus scopam gestans elevatus in Deum, in se reversus exclamabat: *humile Cor quantum est gratum Deo!* Dum Summorum Virorum, Ducum, Principum, Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium honoribus, vel flexis genibus ad eum adeuntium, vel gratiarum exostulantium impetrationem, vel secum ipso in sua cellula orantium, vel tamquam ab oraculo concilia exposcentium, vel suam caelestem aclamantium conversationem, numquam apposuit cor suum: dum in familiaribus Religiosorum colloquiis continuo repetebat: *Humilitas, humilitas;* mirabantur omnes profundam ejus humilitatem, dum quem gratiae opes affuerant, a quo virtutum hauriebant exempla, in assuetis reconciliationibus fratrum lugentem a scandalis perpetratis exposcere dimissionem. Obstupebat Confessor lacrimis et gestu corporis, velut impium scelestioremque pedibus suis devolutum, qui non nisi affluentiam virtutum, morumque innocentiam et puritatem poterat enarrare.

Praeclarum suae humilitatis testimonium Paulae dedit, ubi cum Superior Provincialis ad visitandum sui Ordinis Caenobium adventasset, conscius quam praecipua sanctimonia vitae a vulgaribus discernetur Nicolaus, ut a corde suo omnem everteret elationem, primo accessu dixit ei: indignus es, ut in hoc Paulae Conventu Sacristae munus exerceas, et solum idoneum te judico ad abluendas Equorum sordes: quam Superioris vocem vix humilis Dei Servus audivit, ac in stabulum gressus dirigens, summa omnium admiratione, pedes Equorum lavare caepit.

Charitas quam Christus Salvator omnibus observandam praecepit, vere Servi Dei fuit anima et fundamentum: hac caelesti omnium virtutum Regina incensus ad unam Dei gloriam, et amorem, ac proximorum utilitatem suas omnes cogitationes, sua omnia concilia referebat; testimonia fuerunt suae ferventis in Deum Charitatis extases frequentes et amoris deliquia, quae patiebatur; Cordis incendium, eum, quasi unum de Scurris factum propter Deum, publice provocabat ad saltitandum atque canendum: *non ci e altro che amore: non ci e altro che amore, amore, amore;* atque ad elevandas usque ad sidera nunc voces illas: *Non est alius in Mundo Deus meus quam tu et ego, ego et tu; nunc: incendium*

parasti cordis meo, quid amplius me vis facere cum totus tuus sim, tu totus meus? Nunc: non possum amplius Domine, non possum.

Etiam nunc summis laudibus extollunt profusam illius Charitatem erga proximos, infirmos saepius invisere, errantes peccatores in Ovile Christi reducere, lapsos in spem veniae erigere, pacem inter dissidentes componere, quotidianas eleemosinas plena manu effundere. Gestiunt adhuc Romae Puellae, quae suis emendicatis eleemosinis virginitatem servarunt. Gestiunt Viduae, quae pro familia sustentanda Nicolaum agnoverunt disertissimum benefactorem. Gestiunt suis beneficiis Nobiles in paupertatem redacti. Gestiunt ignobiles in suis necessitatibus sublevati. Ad misericordiam propensus natus ad commune adjutorium super terram jacens lectulum suum Peregrinis concedebat, necessarium alimentum prohibebat Corpori suo, ut miseris turmatim ad se accedentibus necessaria alimenta distribuere.

Florem illibata Castitatis, quem ex utero Matris nascens in mundum intulit vivens servavit moriens integrum, intactumque in terrae tumulum suum detulit. Tuendae vero Castitatis quatuor illi potissima praesidia. Primum, singularis in cibo, potuque temperantia; nam enim ad mensam de Spiritu magis quam corpore saginando sollicitus, crudis herbis nimio sale permixtis contentus erat; quemadmodum Elias et Joannes victitantes locustas. Secundum Castimoniae presidium fuga periculorum: hinc, licet suum Ostiarii ministerium non permississet Mulierum evitare consortia, in earum tamen congressu, minimis etiam in rebus, miram circumspectionem adhibuit, ut numquam agnoverit, quae lineamenta habuerint. Tertium, custodia oculorum, qua velut clausa Capitis galea omnes extulit adversarias Castitatis oppugnationes: qua in re Nicolai modestia tan singularis emicuit, ut oculorum et vultus compositione, totoque Corporis habitu passim intuentes ad Castitatis amorem accenderet. Quantum Corporis castigatio: et quis enim enarrare poterit Corporis mortificationis Servi Dei? Bis in singulis noctibus ferreis catenis usque ad sanguinis effusionem se flagellabat: asperrimis ciliciis suum Corpus circumcingebat: assiduis jejuniis macerabat: noctesque continuis vigiliis insomnes ducebat.

Quid dicam de sua Patientia? Multas persecutiones pertulit, quibus nec concuti, nec averti numquam potuit. Superiorem quemdam, ad probandam fortasse suam probitatem, diu iratum, et omnia ejus opera ad sinistrem vertentem, aequo animo ac patientia sustinuit: extiterunt enim ex fratribus, qui non levibus eum contumeliis et opprobriis afficerent, quorum sane ille furori cedere maluit, quam maledictis reddere maledictis. Audire licuit multos vitam ejus, et frequentem cum Magnatibus conversationem obmurmurare; et Dei

Servus minime concutiebatur, sciens Deo magis et Superiori quam caeteris, obedire oportere. Illustre Patientiae exemplum exhibuit omni commendatione dignum, cum violenter ab igne quidam Religiosus titionem fumigantem ereptum in humeros Nicolai fortuito jaculasset, extremum ille persentiens dolorem, jaculantis manum nec videre curavit, nec aliquam ab ore suo prodiit lamentationem, quam *sit propter Dei amorem*. Et quid opus est ut singula enarrem?

Cum pauperibus Spiritu voluit et ipe pauper fieri, ut a Rege Caelorum Caelesti Regno donari mereretur; hinc licet maximam talentorum copiam, si ita ipsius voluntas tulisset, ex eleemosinis Principum, aliorumque primorum Virorum colligere potuisset, nec unam quidem drachmam pro se expendit, humiliori contentus tunica, vestibusque resarcinatis.

Caelestibus jugiter inhians desideriis, justis meritis, et oratione assidua divinae contemplationis obtinuit gratiam; et quantum in ea admirabilis fuerit, vir pollutus labiis, Homo peccator, qualis ego, exprimere nequit. Testes hic apello Directorem Spiritus sui Domini praecepto insignia Servi Dei contemplationis monumenta calamo exaravit, et posteris dereliquit. Iam vero testatur iste, tanto amoris incendio Cor Nicolai conflagrasse, ut Paradisi dulcedinem praesentiret; et stultus factus propter Christum continuis horis saltitaret. Mox attigisse Nicolaum apicem contemplationis, mox ab omni oratione vocali ad contemplationem ascendere, totamque ejus continuam esse contemplationem, affirmat: enim vero in conversatione gentium dulcia deliquia, raptum et extasim quacumque spirituali voce audita substulisse pro comperto habet. Ita profusus Deo fuit, ut illi prorsus adhaerens unus Spiritus videretur. Audivisse a Christo: *Requiesce in me, quoniam requiescam in te*. Inter praeparandum Pauperibus cibum in spiritu elevatum pro Nicolao praeparasse Christum, sunt omnia testimonia sui Directoris.

Verum enim vero cum nemo mereatur requiescere in Christo, quin vitae suae sectator existat, Christus ipse praeclaro Dei Servo omni genere asperitatum corpus suum in servitum redigenti, mortificationis alias, aliasque paenitentias praescripsit. Hinc apponens capiti ejus spineam coronam, jejunium in solo pane et aqua annos decem indixit: cogitanti eidem novis vestimentis, licet humilibus corpus suum operire, indixit extemplo nudus, lividus et vulneratus ei apparuit: unde Redemptoris nuditatem imitare debere intellexit.

Propter gaudium solemnitatis in vigilia Nativitatis Christi paucas spiras comedere meditati, ne illas comederet prohibuit, atque ut in posterum a vespertina collatione

abstineret praecepit. Ecclesiasticorum culpas, et totius Mundi crimina luere Nicolaum voluit; et solis Nicolai mortificationibus iram Dei vindicatricem placari.

Quem autem Deus per asperas paenitentiae semitas ambulare voluit, adhuc affluentis beneficiorum caelestium cumulavit. Ea enim disciplina intellectus replevit eum, ut qui cum viderent et audirent vel inter orandum super amorem Dei, aut paenitentiae necessitate concionare, vel profunda trinitatis et divinae gratiae explicare misteria, profecto dicerent Sapientiam Sanctorum dedisse ei Deum. Obstupuerunt eximii Sacrae Theologia Lectores, qui dum in Collegio S. Francisci de Paula ad Montes de Urbe nodum exponebant praedestinationis ingressus in Scholam Nicolaus Spiritus fervore, et verborum energia, atque admirabili sapientia explicavit: testis sum et ego, qui cum Sacrae Theologiae lectionem coram eo recitarem, interrogans, quid ipse intelligeret?, respondit: quod principio dixisti approbo, quod postremo repudio: testes sunt condiscipuli mei, qui ab eo curiose quaerentes, suum adaperire sensum super gratia a Sacramentis producta, in medium protulit nostrae opinioni oppositam sententiam: unde magis illi, quam Magistro, et rationis ab eo adductis, credentes, Nicolai opinionem sustinebamus. Curiosius autem ab eo quaerentes, quomodo sciret litteras, cum non didicisset? Qui ex magna Grecia sunt oriundi, idioma latinum quasi connaturale habent, respondebat. Testes sua Sapientiae sunt quotquot eum agnoverunt. Refert autem suus Pater Spiritualis, Spiritum Sanctum in Columbae specie intra Cellulam suam Sapientiae radios effudisse, omnemque veritatis cognitionem manifestasse.

Idem Christus cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum, continuo in Nicolai conversatione videbatur; nunc latere ad latus cum Nicolao ambulabat; nunc Servum Dei blandiebatur; nunc dum ad visitandas septem Ecclesias progrediebatur, cum eo in itinere sotiabatur, nunc ei promitebat semper in eodem itinere sotiaturum; nunc in Parvuli forma manibus crucem gestantis, ut eum sequatur, invitat; nunc gemmam praetiosissimam suis manibus exhibet; nunc ore suo calamum, nunc accensas candelas porrigit; nunc purgat cor suum; nunc annulum ei promittit; nunc demum data dextera eodem annulo sibi ipsum desponsat.

Miris modis in Sacramento Eucharistico Caelesti dulcedine satiavit; multifariam, multisque modis ei benignitas Redemptoris apparuit: Parvuli gestans imaginem suis amplexibus incomparabilem virum dignabatur refocillare. Caelesti sepius e latere suo liquore potabat. Conversatione Angelorum, sepe numero, recreabat: et Spiritus Sanctus in Columbae specie rostro, auribus adhaerebat. Elevatus in Spiritu, et ante tronum Dei

constitutus, Angelo praecepit Deus, ut Nicolai nomen scriberet; cui et chartulam scriptam porrigens Deus, ad profunda misterii trinitatis cogitationem euectus est, ut deinde si vel nomen trinitatis quis proferret, vel manu compressa solos tres digitos elevaret, ex templo in extasim raperetur. Christi divinitatem absque humanitate videre meruit. Quadam die Christum secum familiaritater ambulans praecibus exoravit, ut amplius illi manifestaretur: cui Christus: vidis me? Respondit Servus Dei, te Domine video. Mox ille denuo: vides nunc me? Et magis extollens vocem, te Domine video, respondit. Tertio demum Christus: nunc amplius videbis; et tunc Nicolaus clamans voce magna, quasi mortuus, cecidit super terram.

Describam ne imensa prope modum beneficia, quae a liberalitate Beatissimae Virginis accepit? Vel ipsum erudiens, vel Filium suum ad ulnas suas porrigens? Describam apparitiones Sancti Joannis Evangelistae? Principis Apostolorum? Doctoris Gentium? Quos pro ecclesiae calamitatibus Servus Dei deprectus, Joannem vidit dantem sibi gladium, Petrum gladium ad deffentionem arripientem, et Paulum vidit, ut in actu conversionis, super terram jacentem.

Ne polixus sim ab his omnibus in praesentiarum supersedebo. Dumtaxat silentio praetermittere haud possum miracula ejus: miraculis enim confirmatur eorum fides, qui de piorum hominum meritis et praemiis dubitare solent. Quanta autem per eum Dominus, et ante et post obitum miracula patravit, difficile sane est verbis exprimere.

Mare trajiciens dum ab Urbe Roma in oppidum Longobardorum Beatae Innocentiae Corpus transtulit, strepentibus undis, et pluvia de caelo irruente, nec unica stilla aquae super Cibat decidit orationibus Nicolai, quae et Nautae tribus palmis super Cimbae tabulatum eodem in itinere elevatum in aera inspexerunt. Ob edificandam Ecclesiam Longobardorum trabam ingentis ponderis unius hominis vires longe excedentis tres homines deferentes et Nicolaus in medio tentarunt caeteri duo virtutem ejus deserentes trabem, quam Servus Dei virtute divina deportavit. Etsi autem non excitaverit corpore mortuos, alia certe praestantiora, potioraque per eum Dominus operatus est miracula. Quinque annorum spatio per universum Corpus vulnere herpete formicaria laboranti, vehiculo ad Servum Dei delato, sanitatem restituiri, ut pedibus suis domesticis laetitia gestientibus redierit. Puellae cruribus contortis, humeribusque elevatis, monstri effigiem praeseferenti dicente Nicolao, *ambulla Puella mea, ambula*, extemplo ambulavit, et Corporis rectam dispositionem obtinuit. Nepoti Cardinalis Millini morbo laboranti sanitatem praedixit; a Cardinali autem, cum ad extremum usque vitae apicem Nepos

redactus videretur, dictum fuit Nicolao: en Frater mi, iam moritur ille, cui praedixisti salutem! Flexibus genibus orans Deum Nicolaus: o rem stupendam! Confestim elevavit manum dexteram infirmus; et perseverante Servo Dei in oratione, elevavit sinistram, aperuit oculos, et stupentibus omnium sanus factus est.

Infirmatus graviter Romae Sacerdos Alienigena, cum sero esset factum, et morbum ingravescens sentiret, S. Franciscum de Paula deprecatus est, ut salutem ei restitueret, emittens votum, si in Patriam incolumis reverteretur, ejus Monasterio juvenulam se daturum; deinceps non ignarus Nicolai sanctitatis dixit in corde suo: si vere Dei Servus es Nicolae exorare Dominum, ut sanus regrediar in domum meam: illucescente die ante se vidit Nicolaum, qui dixit illi: Laetare Domine Joseph, a Sancto Francisco sanitatem obtinuisti; sed redde Domino vota tua.

Alia praedixit, alia operatus est, quae integra non caperent volumina: uni dicebat infirmitatis tua non est ad mortem, et suis orationibus sanabat. Alii, morieris, et suis praecibus salutem aeternam consequutus, mortuus est. Cuidam apud se meditati peccata sua, et de salute spirituali dubitandi, cordis secreta penetrans, dicebat, spera in Domino. Alteri, imminet grave periculum tibi, et pericula passus, suis orationibus liberabat. Ingressus hanc domum dicebat domesticis: hanc imaginem Divi Francisci in majori cultu tenete, operabit enim miracula, et progressu temporis salutem filio restituet. Ingressus alteram Mulieri aegrotanti Divi Francisci devotionem persuadebat, et noctu ejus visione intercebat illi. Huic viro dicebat, filios habebit, et habuit. Illi Mulieri, hic filius est propter Deum, et moriebatur; filiam parturiet, et filiam parturiebat. Masculus est in utero tuo, et Servus Dei erit, et ita probabat eventus.

Quod si vero Anima plus est, quam Corpus, multo excellentius est, animas semper victuras a peccati morte excitare, quam infirma Corpora ad pristinam salutem revocare. Eorum autem, quos ab animae horrenda morte, et immani vitiorum voragine ad vitam reduxit, et suis exemplis, et orationibus in vitae vias perduxit, tantus est numerus, ut soli Deo cognitus sit.

His ergo, atque id genus aliis claris virtutibus et miraculis, plenus sanctitatis incidit in morbum anno 1709: in agone ajutem positus Augustissimum triadis nomen, suspiria inter et lacrimas repetebat. Ejus in infirmitate Nobiles cuncti, Ecclesiastici et Seculares ad eum decurrebant amoris et venerationis signa exhibentes. Idemque Summus Pontifex Clemens XI, pontificiam benedictionem ei elargitus, eidem jussit denunciari, ut praesentium

Sanctae Romanae Ecclesiae necessitatum memor esse dignaretur, cum ad electorum Patriam advolasset: quod et flexis genibus pro sua domo et familia Nobiliores Principes deprecabantur. Timens suus Pater spiritualis, ne tot, quibus prosequebatur, honoribus Cor Nicolai elevaretur, dixit ei: *mi Frater, isti honores habitui Religioso, non tibi, deferuntur, glorifica Deum, non te ipsum.* Cui humiliter respondit: *ne dubites Pater gratias ago Deo meo, quod decem ab hinc annis non est aliud pro me in Mundo, quam ego et Deus.* Tandem fiducialiter sperans Coronam gloriae, quam asserebat Deum illi promississe et non timebat; elevatis manibus, quibus Crucem Christi gestabat, ter benedixit adstantibus, eamque dehinc perstringens cordi suo, in osculo Domini spirans obdormivit, die 3 Februarii anni ejusdem superius dicti.

Cujus Corpus, ut fidelium devotioni fieret satis, per tres dies insepultum, demum, non quidem ut odorato liquore circumfunderetur, sed ut causa dignosceretur infirmitatis, a Chirurgis dissectum, peritorum admiratione, nec foedum spirans odorem, imo sua flexibilitate dotatum, suaque fluiditate sanguinis adinventum fuit, Quare et pellis particulas aliis, alteris Capillorum particulas certatim accipientibus, aliis linneos pannos sanguini infundentibus, fuerunt Caelestia medicamenta vulneratis, et asmate laborantibus. Alia multa post mortem ejus praestante Domino facta sunt, et fiunt, vel ejus invocatione, vel factu suarum vestium, aut imaginum miracula. Permultis quamplurima et praestita sunt, et praestantur beneficia, quae prae nimia multitudine, et magnitudine commemorari non possunt. Quisquis enim cum devotione in quocumque morbo, afflictione, et necessitate opem illi poscit, fideliter voti sui compos effectus reddit ad sua sospes et gaudens.

Tot virtutibus et miraculis hic Servus Dei resplendens Venerabilis titulo decoratus fuit; et ad praesens et virtutum et miraculorum ejus via ordinaria informationibus captis, Corpus suum a communi Sepulcro honorificentiori loco collocatum est. In eam erigimur spem fore, ut ad Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem, Minimi gregis decus et commune bonum, Beatum in terris divino illustrata Spiritu Ecclesia declaret, quem pie credimus gloria aeterna coronatum in Coelis. Amen.